



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Prophanas verborum inanitates vitato &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

docendi, & quia in docendo diuisionum et defini-
tionū magna uis est, Doctorem tenere necesse est
ordinem membrorum totius doctrinae recte distri-
butum, ut manifestum est, horrendas confusiones
sequi, quando non recte miscentur genera doctri-
narum, Legis & Euangelij, doctrinae spiritualis
et politicae. Assuesfaciat etiam doctor auditores, ut
ipsi quoque integrum doctrinae corpus mente com-
prehendere possint, & uideant seriem membro-
rum, initia, progressionem & exitum. Hæc senten-
tia etiam testatur placere DEO studia discenti-
um, quia nemo potest recte docere nisi didicerit,
sicut & supra 1. Tim. 4. monet, inquit: Attendite
lectioni, consolationi & doctrinae.

*Prophanas uerborum inanita-
tes uitato &c.*

Cancrena uocabulum, est factum à uerbo
κῆρυξ, quod significat arrodere. Est au-
tem malum foecius cancro, urens et arrodens car-
nem & ossa, ut statim uelut in cinerem redigan-
tur. Ac nisi membrum citò præcidatur, occidit
hominem. Hac imagine significat impia dogmata,
& celeriter latè uagari, & ualde perniciose esse.
Qua in re non solum uanitas & leuitas humanae
naturae agnoscenda & deploranda est, quæ dele-
tatur mendacijs, sed etiam Diabolorum malicia,

N 3 & po

II. EPISTOLA AD

et potentia consideranda est, qui gratis, sine ullo suo incommodo spargunt et confirmant tetros furores, tantum ut Deum contumelia afficiant, et odio Christi perdunt homines.

Cohorrescamus etiam cogitantes de potentia, de qua dictum est Luca 22. Satan intrauit in eum. Ac idola Ethnica omnium temporum mundi, Bacchanalia, humane uictimae, et alij furores, sunt testimonia eius potentiae, et inter eos, qui nominari uolunt Ecclesia Dei, semper fuerunt multa tetra deliramenta. Etiam tempora uicina Apostolica habuerunt turpissimas sectas inquinatas abominandis opinionibus et confusionibus libidinum. Hec exempla consideranda sunt, ut simus memores grauissimarum admonitionum Matth. 26. Orate, ne intretis in tentationem. Item 1. Pet. ult. Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, querens quem deuoret. Exuscitet in nobis cogitatio periculorum, timorem et inuocationem, ne opprimamur ociosi, securi, ebrij, aut uoluptatibus, aut ambitione, aut alijs cupiditatibus, et opponat fides potentiae diabolorum potentiam Christi, qui dicit Iohan. 10. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Item 1. Iohan. 3. Apparuit filius Dei, ut destrueret opera Diaboli. Item Gen. 3. Semen mulieris calcabit caput Serpentis.

Confite

Considerandum & hoc est, quod fasciatus à Diabolo Paulus inquit, paulatim in maiorem impietatem ruere, sicut alibi dicit, Rom. 1. Tradidit eos in reprobum sensum.

Stat firmum fundamentum etc.

PAulus ingressus in hanc tristem commemorationem de dissipationibus Ecclesiae, opponit consolationes duas, Alteram publicam, alteram pertinentem ad singulos. Publica hæc est: Quod certissimum est tamen filium Dei sedentem ad dexteram æterni Patris, regnantem & reprimentem Diabolos, & adsiduè intercedentem pro nobis, esse Sacerdotem æternum, & colligere sibi Ecclesiam in genere humano, quantumcunq; aduersantibus Diabolis. Hoc decretum firmum & immotum est.

Tenenda est igitur hæc consolatio, semper fore aliquam Dei Ecclesiam, aliàs magis, aliàs minus frequentem, aliàs magis, aliàs minus oppressam erroribus, iuxta dicta Christi Luca 17. Erit sicut in diebus Noë & c. Item Matth. 24. Propter electos abbreviabuntur isti dies, Erunt semper aliqui electi usq; ad finem mundi, & non sunt electi, nisi in cœtu uocatorum. Iuxta illud Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit. Seruabit igitur Deus

N 1 semper